

potuisse, si ad hoc adiecisset ingenium, ut id inveniret, quod poterat occurrere. Sed acute rapuit ex eodem proposito validam responsionem, ut magis eum cupidum lacescendi ostenderet, qui sibi ea ultro suggereret, quae potuisse dici fateretur nec tamen dicta sint. 5

Te aiebas de tuis rebus gestis nullas litteras misisse, quod mihi meae, quas ad aliquem misissem, obfuissent.

Haec omnia non ad reum, sed ad [omnem] Ciceronem spectant quasi asperius a Laterense proposita. Nam significari scio epistulam non ad mediocris instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam de rebus suis in consulatu gestis miserat Cicero aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompei stomachum non mediocriter commoveret, quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur vult esse purgatum dicens nuntiasse se Cn. Pompeio patriae conservationem nec inscianter de semet ipso gloriatum. Obfuerunt autem re vera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur. 20

§ 86. Quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit.

Haec iam saepius dicta sunt de Pisone et Gabinio, qui actionibus P. Clodi tribuni pl. in perniciem M. Tulli consenserant habituri provincias <Piso> Macedoniam, 25
Gabinus Syriam. Sed hic exercitum perditum a Pisone,